

In quarto, contra secundum librum Juliani duo præsertim docet, unum quidem, virtutes Infidelium veras non esse : alterum vero, malam esse concupiscentiam, quod ipsis etiam Gentiliis sententiis, præbente occasione Juliano, commonstrat. Circa medium libri paucis obiter ostendit, quomodo gratia non secundum merita detur, nec tamen in fatum sit referenda : utque intelligendum quod Apostolus ait, Deum velle omnes homines salvos fieri.

In quinto, librum adversarii tertium confutans, dicit cur novam hæresim quæ originis peccatum negat, detestetur multitudo christiana, quia nimirum imaginem Dei tantos hic in parvulis cruciatus pati, et si absque Baptismo intereant, a regno Dei excludi novit. Perizomata a parentibus primis ob pudorem ex peccato venientem assumpta probat. Peccatum po se esse præcedentis peccati pœnam. Ex eadem damnationis massa esse alios gratis electos, alios vasa iræ factos. Concupiscentiam non ideo laude dignam, quod per eam hominis inobedientia puniatur; sed semper esse malam, in illis etiam, qui ei non consentiunt. Quomodo intelligendum illud Apostoli, *ut sciat unusquisque suum vas possidere*. Verum sine concubitu esse, quale Mariæ cum Joseph fuit, conjugium. Frustra Julianum ex Aristotelicis categoriis contra originale peccatum argutari. Quid caro Christi a cæterorum hominum carne peccati distet. Manichæis minime favere Catholicos, dum libidinis malum et originis vitium agnoscunt; sed Pelagianos potius, cum « de ea re quæ a peccato libera est » dicunt « peccata non nasci. »

Sexto tandem libro ad Juliani quartum respondens, nasci hominem cum peccato confirmat ex Baptismo parvulorum, ex Apostoli verbis, et ritu exorcismi ex exsufflationis baptizandorum. Oleæ et oleastri exemplo convenienter exponit quomodo ex parentibus regeneratis ac justis nascantur filii peccatores et regenerandi. Peccatum originale in primis parentibus voluntarium esse ostendit, ac nobis quidem alienum proprietate actionis, nostrum tamen contagione propaginis. Hujus peccati merito fieri, ut tantis ab infantia miseriis atteratur genus humanum, utque parvuli sine regenerationis gratia morientes excludantur a regno Dei. Quomodo concupiscentia manet actu, præterit reatu. Pauli testimonia perverse a Juliano exposita revocat ad catholicum intellectum. Ezechielis postremo auctoritatem, qua ille abutebatur, secundum legitimum sensum interpretatur.

In libros Contra Julianum, vide lib. 2, cap. 62, Retractationum, t. 1, col. 655, a verbis, Interea libri quatuor, usque ad verba, Contumelias tuas et verba maledica, Juliane. M.

AUGUSTINI EPISTOLA CCVII.

Beatissimo fratri et coepiscopo CLAUDIO, AUGUSTINUS, in Domino salutem.

Quoniam mihi fraterno excitatus affectu, Juliani quatuor libros, quos adversus unum meum (a) scripsit, priusquam peterem, ipse misisti; nihil convenientius putavi esse faciendum, quam ut ea quæ respondeo, tu potissimum legens judices, utrum recte congruenterque responderim. Nam de his quatuor libris nonnulla decerpta scripserat nescio quis ad illustrem et religiosum virum comitem Valerium, adversus eundem librum meum, quem me ad illum scripsisse cognoverat: quæ cum in manus meas eodem sublimi viro curante venissent, illi primo non distuli secundum volumen adjungere, in quo illa omnia, sicut potui, refutavi. Sed nunc eosdem libros cum diligentius inspicerem, comperi illum, qui nonnulla inde selegerat, non omnia ita posuisse ut in his libris leguntur. Unde poterit videri Juliano, vel cuilibet illorum, me potius fuisse mentitum; quia non utique sicut hi quatuor libri, ita illa quæ de his excerpta, et memorato comiti missa sunt, innotescere potuerunt. Quisquis ergo et illum secundum librum meum ad comitem identidem Valerium, sicut primum conscriptum legit, noverit me in quibusdam non respondisse Juliano; sed ei potius qui de libris ejus illa selegit, et non ita posuit ut invenit, sed aliquantum putavit esse mutanda; fortasse ut eo modo quasi sua faceret hæc aliena esse constaret. Nunc autem veriora credens exemplaria, quæ tua Sanctitas misit, ipsi auctori video respondendum, qui unum meum quatuor libris suis refellisse se jactat, et usquequaque spargere fidei venena non cessat. Aggressus sum igitur hoc opus in adjutorio Salvatoris pusillorum atque magnorum; et scio te, ut id implerem orasse pro me, et pro iis quibus hujuscemodi labores nostros profuturos credimus et optamus. Auende ergo jam responsionem meam, cujus principium hanc epistolam subsequetur. Vale in Domino memor nostri, frater beatissime.

(a) Librum primum de Nuptiis et Concupiscentia.

